

Α. Ω.

ΣΧΕΔΙΑΣΜΑ

ωφκ 78

# ΒΔΕΛΥΤΜΑΤΟΣ

7ic

# ΕΡΗΜΩΣΕΩΣ

Ex Matth. XXIV, 15. &c.

Quod

*Consensu Ampliff. Facult. Philos.*

*In Regia Academia, que ad Auram est,*

Sub PRÆSIDIO

*Rectoris b. t. Magnifici*

Dn. ISAACI ΒΥΣΣΑΛΟΥ

Sacr. L. L. Profess. Ord.

*Publico honorum Examine subicit*

S:æ R:æ M:stis ALUMNUS

HENRICUS JOH. HAARTMAN

Gust. Fil.

*Gevaliensis.*

In Aud. Maj. D, V. d. XV. Decemb.

MDCCLXXXIII.

*Loco horis que ante meridiem consuetis.*

ABOÆ, Exc. Joh Kiämper, Ac. Typ.

*VIRO Maxime Reverendo atque  
Celeberrimo DOMINO*

Mag. JOHANNI HAARTMAN,  
Phil. Theor. in Reg. hac Acad. PROFES-  
SORI Ordinario, Consistorii utriusque  
ADSESSORI Gravissimo, Ecclesiarum  
ad Divæ Mariæ ANTISTITI longe Ad-  
curatissimo. PATRUIO Carissimo, MÆ-  
CENATI ac PROMOTORI studiorum  
meorum OPTIMO.

זְכוּרֵי לְרַב חַסְדֵיךָ אֲשֶׁר עָשִׂיתָ  
עִמָּדִי דַרְדֵּי וְקִיּוֹר בְּוָשִׁיבָה הַזֹּאת  
בִּשְׁשׁ שָׁנִים עַד הַנֵּה רֵאִיתִי כִּי הַפְקֵד  
מִמֶּנִּי מִוְרָא וְלִבְ עֲתִיר לְשָׁלוֹם אֲשֶׁר  
גַּם אֲוֹדִיעַ בְּכֹל עֵת חַיִּי לְכֹן קַח נִי  
זֶה

זאת הפעם את מתן הזה ביר חסדך  
כבכורו מעשו אשר תם לכו יעלה לך  
כי למשפט אחר לא אוכל לשלם את  
תגמולך כי אם בחנכי את פעלתי  
את נבזה תפלתי תחיה ליהוה תטיר  
טו ושמרך מכל רעה ושמר את נפשך  
אף ושמרך שלם בימים רפואם  
למען שמוח נפשו באחרונה תרום  
לנוה שאנן בשמים זאת אשר  
בגפש חפצה

Maxime Reverendi ac Celeberrimi  
Nominis Tui.

*Cultor Devotissimus*  
Henr. Joh. Haartman.

*VIRO Admodum Reverendo atque Amplis-  
simo DOMINO*

Mag. ANDR. WESTERMAN,  
PASTORI & PRÆPOSITO Gevalig lon-  
ge Dignissimo, INSPECTORI Gymna-  
sij ibidem Adcuratissimo, PATRONO &  
EVERGETÆ submissa animi reverentia  
etatem colendo.

*VIRO Nobilissimo ac Consultissimo*  
Dn. ERICO GERDZLOVIO,  
Civitatis Gev. Consuli Politico Adcura-  
tissimo; PATRONO & EVERGETÆ o-  
ptimo, ita quibusvis officiis pro-  
sequendo.

*VIRO Amplissimo ac Prudentissimo*  
Dn. CHRISTOPHORO DEPKEN,  
Prædictarum Regionum QUÆSTORI Di-  
gnissimo & Adcuratissimo, FAUTORI  
reverenter habendo.

*Mæcenates veniam date quæso clienti,  
Quod titulos vestros, pagina vilis habet.*

Nominum  
Humillimus &  
cul  
Henr. Joh.

*VIRO Nobilissimo ac Am-  
plissimo*

**Dn. JOHANNI PALMBORG,**  
Primario CONSULI & JUSTITIÆ Ad-  
ministratori civitatis Gevaliensis Gravis-  
simo, prudentiæ laude & æquitatis cul-  
tu celebratissimo, PATRONO omni ob-  
servantia devenerando.

*VIRO Amplissimo & Spectatissimo*

**Dn. CAROLO J. BUSCHERT,**  
Regionum Gestriciæ & Hellingiæ CAME-  
RARIO Dignissimo; multis animi offi-  
ciis Honorando, PATRONO & FAU-  
TORI Propensissimo.

*VIRO Amplissimo ac Conspicuo*

**Dn. ANDREÆ BERGER,**  
Majorum urbis Gevaliensis Vectigalium  
Maritimorum INSPECTORI Adcuratiss-  
simo, BENEFACTORI honorando.

*Vestra licet nunquam benefacta rependere  
possim,*

*Sumite de grata munera parva manu.*

Vestrorum  
Observantissimus

tor

**Haartman.**

*Speſtatiffimo Prudentiffimoque*

**Dno. GUSTAVO HAARTMAN,**  
Senatori Curia: Gevalienſis Laudatiſſi-  
mo, Patri meo Dulciſſimo, omnique  
pietatis Zelo & filii ſervitiis ad cineres  
uſque colendo.

*ſp. Fidei integritatis & fidei Viro*

**Dn. GREGOR. HAARTMAN;**  
Redituum Territorialium Scribae in Wir-  
mo Perindufrio, Patruo Benefactori  
& venerando.

*Speſtata Eidei & Dignitatis*

**Da. OLAO LÖNNQVIST /**  
Logographo Vectigalium Gevaliæ omni-  
bus modis Honoratissimo.

*'Speſtabili & Prudentiſſimo*

**Da ANDREÆ HOLMBERG,**  
Civi Geval: & Mercatori Solertiſſimo,  
Avunculi loco ſemper honorando.

# II<sup>o</sup>.

*Leve. Ingenit. Specimen,  
Ob.*

*Paterna. Beneficia.*

*Singularem. Benevolentiam.*

*Et.*

*Favorem. Nunquam. Non. Decantandum.*

*In.*

*Τεννηειον. Animi. Observantissimi.*

*Et. In. Spem.*

*Ulterioris. Gratia.*

*Et.*

*Beneficentia. Obtinenda.*

*Una. Cum.*

*Humilissimis. Obsequiis.*

*Et.*

*Ardentissimo. Voto.*

*Omnigenae. Felicitatis.*

*Sacratum.*

*Volui.*

**Auctor & Respondens**





## PROOEMIUM.

**L**ENTO quidem gradu divina solet justitia ad vindictam procedere: unde non diem tantum pœnæ prorogari, & pro judicio humano in serum trahi; sed & dehortationibus variis & comminationibus severis peccantes a noxio deterreri instituto patitur. Verum ubi sceleribus mortalium pertinaciter provocatur & quasi defatigatur, prorumpit tandem, eoqve plectit gravius, quo major flagitiorum cumulus tolerantiaqve mensura fue-

A

fuerit. Hinc facinorosorum per-  
 vicaciam sæpissime nemefi divi-  
 næ horribiles dedisse pœnas con-  
 stat, quarum vestigia tam in  
 profanis historiis, quam maxime  
 in sacro prostant codice. Sce-  
 ratissimus certe populus Judaicus  
 insigne dat documentum prolati  
 diu, & severe denuntiati suppli-  
 cii, quod demum horrendo cum  
 fragore ad interneccionem us-  
 que in caput eorum detonuit,  
 postquam optimi Numinis pati-  
 entiam ad ultimum elusissent.  
 Quorsum spectat & illud a Ser-  
 vatore nostro apud Evangeli-  
 stas Matth. 24. 15. Marc. 13. 14.  
 conf. Luc. 21. 20. prædictum  
 βδελυγμα ἐρημώσεως, de quo no-  
 bis jam breviter disquirendum.  
 Ceterum dum hoc aggredimur,  
 Tuam, Candide Lector, censu-  
 ram benignam, qua par est ob-  
 servantia petimus, velis, quæ  
 minus polita sunt, in meliorem,  
 pro

3

pro tua humanitate, interpreta-  
ri partem

*Sectio Prior Onomatologica.*

§. I.

**M**OS disputantium in Acade-  
miis receptas legem nobis  
statuit, ne vocabulorum evolu-  
tionem negligamus, quæ in phi-  
lologico potissimum argumento  
momentum adfert haud exigu-  
um. Neminem itaque succen-  
surum nobis opinamur, quod  
viam ita ad institutum explana-  
re necesse duxerimus: in qua  
tamen re exponenda non nimis  
operose occupabimur.

I. βδέλυγμα igitur primam de-  
bet originem verbo βδέω, quod  
est *ingratum emitto odorem*, qua-  
lis est ventris: item *facteo*. Hinc  
derivatum est βδέλυσω, vel poti-  
us βδέλυσσμαι & βδέλυθῆμαι, pro-  
prie, *aversor, ob factorem*: dehinc

latius, *detestor, abominor, execror*.  
 Inde proxime descendit *βοηθυμας*,  
 quod *factorem* quidem directe di-  
 cit: frequentiore tamen usu est  
*execratio, abominatio*; item *res*  
*execranda* leu *abominanda*. Hoc  
 a vetustis interpretibus Græcis  
 sæpissime adhibetur ad exprimen-  
 da præcipue illa Hebræorum  
 תועבה & קקש. Sic dicitur (α)  
 de animalibus immundis, Deut.  
 14. 3. (β) de simulacris Deorum  
 fictitiorum, Deut. 27. 15. (γ)  
 de variis sceleribus sæpenumero,  
 quorsum & tendunt illa N. Test.  
 loca, Luc. 16. 15. Apoc. 17. 4.  
 5, & 11. 27. (δ) quin & de re-  
 bus aliis abusu hominum cor-  
 ruptis, Prov. 15. 8 (ε) immo de  
 hominibus ipsis ob vitia dete-  
 standis, Prov. 29. 27. (ζ) deni-  
 que de statu miserrimo ac deva-  
 stato, tum hominum, Ps. 88. 9.  
 tum locorum, Nah. 3. 6.

2. Quod

2. Quod ad alterum nomen  
 ἐρήμωσιs attinet, ejus vim ex ori-  
 gine arcessere licebit. Ἐρημῶσιs  
 Græcis est *desertus*, diciturque  
 tum de locis, tum hominibus.  
 (α) notat *incultum*, ut Hom. Il.  
 γ. ἄγων ἐς νῆσον ἐρήμην. (β) *præsi-*  
*dio destitutum*, οὐβασιμῶσι, ut Thu-  
 cydidis ἐρήμωσιs πύλας, Scholiastes  
 ἀφυλάκωσιs exponit. quo sensu &  
 Epietetus lib 3. dicit, θέλει ὁ ἐρη-  
 μῶσιs κατὰ τὴν ἐννοίαν ἀβόηθης ἕς  
 εἶναι καὶ ἐκκέιμενῶσι τῶσι βλάπτεισιν βε-  
 λουμένοις. *habet desertus hanc notio-*  
*nem, quod sit sine auxilio, & ex-*  
*positus nocere cupientibus.* Hinc  
 verbum ἐρημῶσιs utramque servat  
 notionem. (α) etenim est *desola-*  
*re, vastare*, ut Thucyd. lib. 1.  
 αὐτὸς πύλαις ἠερινώθησαν ὑπὸ βαρβαρῶσιs.  
 (β) *destituere, privare, orbare*, ut  
 Aristot. ἐρημωθεῖσα ἡσ ἐκ θεῶσιs σωτηρί-  
 ας, *destituta divino auxilio.* Si-  
 militer nomen inde deductum  
 ἐρήμ-

*ερηώσις* non tantum *devastationem*,  
 ut Luc. 21. 20. sed & *desertionem*  
 ac *privationem* significat.

§. II.

**C**onnexa hæc duo nomina in  
 regimine, *βδελύγμα τῆς ερηώ-  
 σως*, aut *ερηώσις*, non tantum  
 in allegatis ex Matthæo & Mar-  
 co locis leguntur; sed & apud  
 scriptorem Maccabaicorum I. lib.  
 1. 4. immo apud interpretes  
 LXX. ad Dan. 9. 27. & c. 12 II.  
 sed Dan. II. 31. mutato posteri-  
 ore nomine habent *βδελύγματα ἠ-  
 φανισμένων*. Et quoniam non se-  
 niores illi Bibliorum interpretes  
 soli, verum & alii Judæi res sa-  
 cras Græco tradentes sermone,  
 quin & sancti ipsi N. fœderis scri-  
 ptores stilum suum ad indolem  
 Hebraicæ dictionis; de cujus ta-  
 men ratione in citatis dictis  
 intra propius videndum, in mul-  
 tis



ris adtemperarunt : videri possit  
 hæc quoque phrasîs Hebraismum  
 sapere. Observatum namque est  
 a Philologis, duorum substantivo-  
 rum, in statu regiminis, more He-  
 braeo constructorum, alterutrum, ali-  
 quando utrumvis adjectivè esse acci-  
 piendum, conf. Glass Philol. sacr.  
 lib. 3. tract. I. can. 8. ut Matth. 13.  
 5. βάθρον γῆς, profunda terra, i.  
 e. profunda terra. Luc. 16. 8.  
 οἰκονόμος τῆς ἀδικίας, dispensator in-  
 justitiæ, i. e. injustus. 2. Thess. 1.  
 8. πῦρ φλογός, ignis flammæ, i. e.  
 sive ignea flamma, sive ignis  
 flammans. Sic nostrum hoc βδέ-  
 λυγμα τῆς ἐρημώσεως aliis aliter ex-  
 ponitur, sive abominanda desolatio,  
 sive abominatio desolans: illa qui-  
 dem interpretatio longe planior;  
 sed huic favere videtur phrasîs  
 Danielis c. 11. & 12. ὑπερ-  
 βύσσος & ὑπερβύσσος abominatio deva-  
 stans.

§. III.

**U**Lterius Christus hocce Βδέλυμα descripturus, adjicit apud Matthæum: ἐς ὧς ἐν Ἰσραὴλ ἀγίῳ. apud Marcum est: ἐς ὧς ὅπως αἱ δεῖ. Hæc intacta ut relinquuntur, argumentum non patitur.

Haud levem injecit scrupulum nonnullis vocabulum ἐς ὧς, quippe quod masculinæ sit formæ, ideoque cum præcedente nomine Βδέλυμα apte committi nequeat: unde varias ingressi sunt conciliandi vias.

1. *Job. Millius* nodum audacter secare aggressus, in splendida N. Test. editione utrobique ἐς ὧς substituit, contra omnium tere cœdicum fidem, qui constanter ἐς ὧς servant, excepto uno Bodleiano, qui ἐς ὧς legit.

2. Nonnulli alia ratione rem expedire conati, participium ἐς ὧς construxerunt cum sequentibus



tibus: ut cl. Hombergkius in *Parergis sacris* explanat: *Quando videritis abominandam illam vastationem, que dicta est a Daniele propheta, tunc ille qui stat in loco sancto, (lector mentem advertat) & illi qui sunt in Judea, fugiant &c.* Cl. Oederus in *Misc. Lips.* ita: *Cum videritis abominabilem rem desolantemque, de qua dictum est a Daniele propheta, (qui in loco sancto stat lector animadvertat) tunc qui in Judea sunt, fugiant &c.* Quod ad illum attinet, periculosum facit saltum divulsione membri, cui particula *ἵνα*, initium *ἀνωδοτῶς* in periodo signans, aperte reclamatur. Præterquam quod hic duram adhibet parenthesesos trajectionem & apostrophem ad solos prælectores templi, utrique refragatur Marcus, quum de loco sancto respectu fugientis & lectoris commode prædicari nequeat

queat ὄντος ἢ ἴσθι. Præterea ipse orationis habitus apud Græce doctos non alium participii hujus sensum admittit, quam in directa temporis notione cum præcedentibus connexum: alias si, relativo exponendum, sequentia ipse stare, articulo foret vestitum.

3. Alii anomalia constructionis lenite hoc laborant. Cl. Viri Gottf. Olearius in *Observat. h.* l. & Starkius *Not. select.* statuunt siue ἑστῶτος generis masculini pro neutro, siue ellipsin substantivi masculini, i. e. *vastator*. At sic saltem servato eodem casu, foret dicendum ἑστῶτα. Insuper hujusmodi orationis anomalix non sunt fingendæ præter necessitatem.

Sed quorsum tanti motus? tot molimina? Eruditissimi Viri non satis hic advertentes Græci sermonis indolem & usum, inani se

se labore torserunt. Nos tuto pronunciamus, ἐς ὧς hic esse neutrum, adeoque præcedens ἑβέλυσμα recte respicere. Nam integrum quidem participium ἐσακώς, in neutro est ἐσακώς. inde tamen post Ionicam formam ἐσαῶς, facta crasi est ἐς ὧς non in masculino tantum, verum & in neutro. Quod, præter usum, probat tum solita contrahendi ratio, qua duæ vocales in unam longam aut diphthongum coalescunt: tum forma obliquorum casuum & feminini generis. Scire enim lubet, unde alias his formis ubique ω esset, ἐς ὧς, ἐσαῶσι, τὰ ἐσαῶτα. quandoquidem si syncope hujus vocis sola litterarum α & κ elisione terminationem relinqueret integram, masculinum in obliquis foret ἐσός, & ipsum femininum ἐσῶα. quod secus se habere omnes norunt. Denique

idem

idem patet: ex participiis: simili-  
 bus, quæ facta contractione ω,  
 ubique servant, ut γεγῶως, βιβῶ-  
 ῶς, μεμῶως, crasi γεγῶως, γεγῶωσι,  
 τὸ γεγῶως conf. Harmon. Goli-  
 Weller. de verb. c. 22. Verbum  
 ipsum ἐσηκέναι non tantum stare,  
 sed & iacere, situm, positum esse si-  
 gnificat, ut Demost. τὰ γεγυμῶτα  
 ἐσηκε, litteræ posita sunt.

#### §. IV.

**R**Estat, ut reliqua breviter di-  
 spiciamus. I. Ne jam omnia,  
 quæ de nomine ἵεροσολῶν dici pos-  
 sent, huc congeramus, videre  
 tantum libet, quid hoc vocabu-  
 lo absolute posito Hebræi in pro-  
 pria h. e. physica significatione  
 peculiariter intenderint. (a) Du-  
 bio caret, isthoc nomen a Judæis  
 demonstrative ingeminatum esse  
 singulariter & ἐξοχικῶς de sanctua-  
 rio & templo, ut Act. 6. 14. κατὰ  
 λύον

ἄσει τὸν τόπον τῆτον, *destruet locum hunc.* c. 21. 28. κατὰ τὴ λαὸ καὶ τὴ νόμω καὶ τὴ νόπυ τῆτα, *adversus populum & legem & locum hunc.* (β) Sed & latius extendi videtur ejus usus, præsertim apud prophetas, ubi & de urbe Hierosolymitana valet, ut Jer. 22. 3. לֹא יִקְרָא הַיּוֹם הַזֶּה בַּיְקוּמָה כִּי שָׁמַיִם *sanguinem innocentem ne fundatis in loco hoc.* (γ)

Quin plurimi de tota regione Judæorum accipiunt illa apud Joh. 11. 48. ἀράσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος, *tollent nostrum & locum & gentem.* Ita certe Lutherus, qui Land und Leute exponit, nec non illi congruenter nostri interpretes.

2. Epitheton ἅγιος, ut ea solum, quæ huc spectant, moneamus, in locorum designatione generatim adhiberi solet, ubi singulari ratione præsentem se monstravit Deus. Sic locus visionis,

quæ

quæ Mofi contigit, Exod. 3. 5.  
 אֶת־הַקֹּדֶשׁ אֲדַמֶּנּוּ Act. 7. 33. ἁγία  
 appellatur. Mons, a splendore  
 gloriæ Christi, 2. Pet. 1. 18. ὄρεος  
 ἁγίου dicitur. *Speciatim* (α) præ-  
 dicatur sæpissime de interiori ta-  
 bernaculi & templi loco & *adyto*  
 intimo, etiam in abstracto, ut  
 Exod. 26. 33. קֹדֶשׁ & קֹדֶשׁ  
 אֶת־קֹדֶשׁ־הַקֹּדֶשׁ Ebr. 9. 2. 3. τὰ ἅγια &  
 ἅγια ἁγίων. nec non de toto tem-  
 plo passim, ut Ps. 79 1. שׁמֵנו  
 קִדְּשׁוּ הַיְסוּדִים *profanarunt tem-  
 plum tuum sanctum.* (β) Neque  
 raro urbi Hierosolymorum tribuitur,  
 ut Es. 52. 1. יְרוּשָׁלַיִם עִיר־הַקֹּדֶשׁ  
*Jerusalem urbs sanctitatis.* Matth.  
 4. 5. εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν. (γ) Aliquan-  
 do de tota Israelitarum regione le-  
 gitur, ut Psal. 78. 54. וַיְבִיאוּ  
 אֹתָם אֶל־גְּבוּל־קִדְּשׁוֹ & *perduxit eos in  
 fines suos sanctos.* Zach. 2. 16. עַל  
 אֶרֶץ־הַקֹּדֶשׁ *in terra sanctitatis.*

§. Conjuncta hæc nomina fre-  
 quen-



quenter quidem de templo occurrunt, ut Act. 21. 28. *κεκοίωκε τὸ ἅγιον τόπον*, profanavit locum sanctum: negari tamen nequit, quin de iisdem locis, quibus singula seorsim conveniunt, eadem conjuncta valeant. Sic illud Est. 9. 8. *לתת לנו יתר במקום קדשו* ut dederit nobis paxillum in loco suo sancto, exponitur v. 14. per *גדר המערמה ביהודה וירושלם* maceriem in Juda & Jerusalem.

4. Ad locum Marci obiter notamus, servandam esse proprietatem verbi *δῆ*, oportet, neque permittendum nonnullis ὑποθέσει servientibus, ut in ejus locum surrogent expedit.

5. De verbis Lucae, *κυκλιμένην ὑπὸ στραπέδων*, id modo observamus, quanquam *στραπέδων* & castra notat; sæpe tamen de exercitu & legionibus pluraliter usurpatur: quã

con<sup>o</sup>

constructioni & historiæ congruentiorem, servarunt. Conf. Raphael. not. ex Polyb. in h. l.

## §. V.

**E**T quandoquidem Christus ipse provocat ad vaticinium Danielis, series rei nos ducit in vexatissimum ejusdem prophetæ locum c. 9. 27. מִצִּירְשׁ הַכֹּסֶלֶט לְעִיר  
 כְּדָשׁוּב quem Græci ita reddidere: *καὶ ἔσσι τοῖς ἱεροῖς θρόνονα τῶν ἑσπερώσων.* & secundum eos vulgatus: *Et erit in templo abominatio desolationis*: procul dubio mendose. Nam non solum nomen הַכֹּסֶלֶט, quod de templo interpretati sunt, in statu absoluto conceperunt, cum tamen manifeste sit constructum, adeoque cum sequente מִצִּירְשׁ per regimen cohæreat: verum & ipsum מִצִּירְשׁ cum sit absoluti status, illi contra ac si constructum id esset, expli-



pluerunt. Sequens vero  $\text{על}$  alias participium, ab iisdem ut substantivum nomen acceptum est, quod non omni destituitur exemplo. Verba autem prophetæ directe & prima notione hoc faciunt enunciatum: *Et super a-  
la abominationem devastans.* Verum applicatio eorum longe est operosissima. Nos de singulis pauca notabimus.

1. Particula  $\text{על}$ , nominibus pronomibusque præmissa, præpositionis naturam servat. (a) Primaria ac formalis eius notio est *super & supra*, utpote a radice  $\text{עלה}$  ascendit, ubivis obvia. Sed ut ad plurimas adhibetur phrasæ, ita varios induit respectus, diversisque exprimi potest præpositionibus. Sic (b) *propinquitatem* denotat, i. e. *juxta, ad &c.* (c) *oppositionem*, seu *adversus*. Ubi notandum, nusquam adeo di-

vertere a radice, quin aliqua ratione ejus indolem referat: manet enim in secundariis his significatibus respectus rei tanquam alteri superne imminenti.

2. Nomen  $\eta\text{ב}$  proprie notat *alam avium*. Metaphorice vero (a) *extremitatem cujusunque rei innuit*. Sic dicitur tum de *ora vestis*, 1. Sam. 24. 5. tum de *locis terra remotioribus*, Es. 24. 16. (b) Præterea aliis etiam inanimatis per similitudinem tribuitur, sive ob *diffusam per terrarum tractus expansionem*, sive *celerrimum in cuncta discursum*, ut *soli* Mal 4. 2. *auroræ* Psal. 139. 9. *vento* 2. Sam. 22. 11. Psal. 18. 11. Psal. 104. 3 Ut de ista figura, qua de Deo prædicatur, nihil jam addamus. Ceterum annon, ut quidam volunt,  $\eta\text{ב}$  Hebræis ad hæc & *avem ipsam*, & *exercitum*, & *templum*, & *Che- rubinos* designat? Ast horum duorum

orum significatum nulla sunt vestigia: de illis liquidum desideramus exemplum. Nam Gen. 7. 14. comode propriam servat notionem, & El 8. 8. adversarius tantum sub schemate aquæ inundantis, & altis alas expandentis depingitur.

6. VI.

**U**T residua in Daniele persequamur.

3. Vocabulum  $\text{רָפָּא}$  est *abominatio & res detestanda*. Radix  $\text{רָפָּא}$  dicitur de eo actu, quo tam miseriam alicujus, Psal 22. 25. quam quod per legem nefas censetur, *aversamur*. Ita  $\text{רָפָּא}$  non tantum rem quamlibet detestandam lege vetitam, sapissime idola, denotat: verum & de iocunditate status deplorandi ac calamitosi legitur Nah. 3. 6. Forma pluralis sensum intendit, & mul-

tiplicem ac horrendam fœditatem innuit.

4. Vox  $\text{מַדְּוֵה}$  formæ est participialis piel, a  $\text{מָדַו$ . Quod verbum (a) *desolandi & devastandi* sensum habet. (b) Ad animum relatum, est *obstupescere*, quasi desolatum attonitæ mentis statum dicat. De formis ac conjugationum notionibus difficilior est quæstio. In Kal usus neutralis ita invaluit, ut indubitatum activæ significationis exemplum reperire non potuerimus, nisi eam Dan. 8. 13. obtineat. Et ut multa nomina formam participialem servant, ita  $\text{מַדְּוֵה}$ , velut in feminino aliquando est nomen, vid. Dan. 9. 18. etiam in masculino a nonnullis una cum LXX. viris Dan. 12. 11. substantive accipitur. Unde nec inepte c. 1. cap. 8. subaudita præpositione fieret *in* vel *cum* *vastatione*:  
nisi

nisi mavis *prevaricationem stupendam* dicere. Forma  $\square$   $\text{דשד}$  quater omnino legitur: bis apud Esdram, c. 9. 3. & 4. apud Danielem h. l. & c. 11. 31. præterea motione *pielica* nusquam. Ab Esdræ locis manifeste exsulat notio activa: a Daniele non plane discrepat. Verum ut servetur paritas, neque vis activa *piel* pereat, quid si hanc vocem dixerimus nomen substantivum? certe haud procul a linea deflexerimus, siquidem & alia dantur habitu participii *piel* induta, quæ tamen mera sunt substantiva, ut  $\text{הסדד}$  *operimentum*,  $\text{הקדד}$  *consignatio*. Sic Esdra se significaret *sedisse cum stupore*. Sic Daniel ipsam *vastationem* indicaret: *super ala abominationum devastatio*. At tamen non multum reluctamur, si magis placeat *pielicus* sensus, *devastans*.

## Sectio Posterior Pragmatologica.

## §. 1.

AD rem ipsam propius admo-  
 tus, disquirendam primo da-  
 tur, quodnam argumentum Ev-  
 angelistæ locis allegatis tractent.  
 Cum Christus de excidio templi  
 Hierosolymitani esset vaticinatus,  
 discipuli tam de tempore istius  
 cladis, quam de signis, quæ ad-  
 ventum Christi & mundi interi-  
 tum essent præcessura, simul sci-  
 scitantur. Horum singula Chri-  
 stus responso sequenti complexus  
 sit oportet. Certe de exitio tem-  
 pli, principalis erat quæstio: ce-  
 teræ non nisi accessoriæ. Cujus  
 solutio nisi isto loco, qui *ἐπιμαρτυ-  
 ρος* meminit, data sit, sed totius  
 mundi finis illic signetur: Chri-  
 stus præcipuam Apostolorum  
 expectationem frustratus est, cui  
 alioquin nihil illius orationis sa-



tisfacit. Nam interspersis de cavenda seductione monitis, ita vaticinatur Dominus de sequuturis bellorum turbis, seditionibus, plagis, afflictionibus, ut aperte innuat hæc nondum proxima esse ruinæ, de qua quæsitum erat, signa: ἄρα ἐστὶ τὸ τέλος, *nondum est finis ille.* Postea vero quam Evangelium foret per orbem terrarum divulgatum, quod jam ante Judææ cladem factum testatur Paulus Col. 1. 27. subjungitur statim: καὶ τότε ἔξει τὸ τέλος, *& tunc veniet finis ille quæsitus.* Cujus signum proximum mox acerte adnectitur: ὅταν ἐν ἰερουσαλὴμ, *simulac igitur videritis abominationem &c.* Immo Marcus & Lucas ne meminere quidem quæstionis de alio fine, & nihilo secius eandem fere per omnia responsionem persequuntur. Propius adhuc patescit idem ex adjecto *Judææ*  
no.

nomine. nam eius devastatio denunciatur, unde fugiendum erat: quid enim sibi vellet fuga ex Judæa, si hæc *antichristum* spectarent? Clarissima autem hæc de re est phrasis Lucæ, *ουκλαμίν υπό στρατων έδων την ιερουλην. σινηταν* *in legionibus Sarmatarum*: quæ verba eodem loco orationis posita, eodem procul dubio tendunt, atque reliquorum *βδελυγμα της έρημώσεως*, quod antecedentium & consequentium *ταυράτης* ad oculum monstrat. Namque improprie hæc accipere foret insulsum, quum proprie sit quæsitum, certe Apostoli & primi Christiani non nisi litteraliter intellexerunt. Tunc demum, proposita gentis Judaicæ internecione, sequentia mundi fata, & ultimum suum adventum Christus edisserit. Vaticinium Danielis c. 9. 27. cum his Evangelista-

rum



rum locis ut parallelum recte a  
 praestantioribus doctorum com-  
 mitti existimamus. Ibi enim,  
 designatis etiam temporum mo-  
 mentis, de Hierosolymis post  
 Daniele[m] extruendis primum  
 agitur, & mox connexa serie de  
 eorundem devastatione illa, qua  
 urbem & sanctuarium perditu-  
 rus erat populus ducis venturi,  
 ita ut ad finem belli decisæ sint  
 desolationes, & ad consummati-  
 onem usque effundendæ super  
 desolatum. Quod de alio, quam  
 fatali illo malo, Judæis per Ro-  
 manos illato, intelligi nequit.  
 Verum desolatio illa c. 11. 31. in-  
 dicata, calamitatem, quam Ju-  
 dæi ab Antiocho Epiphane sunt  
 passi, determinare; & ista c. 12.  
 11. ulteriora ecclesiæ tempora  
 prospicere videtur.

§. II.

**S**icut non modo ob eventus  
 gravitatem, sed & vaticinii  
 paullo

paullo abstrusioris rationem, monitum Christus adjicit: *ὁ ἀναγι-  
νῶντων τοῦτο, qui legit hoc, animam  
adverteat*: plane quemadmodum  
& a Dabene oraculum hoc ex-  
cepturo attentio exigitur c. 9:  
23. 25 ita & nobis de eodem ju-  
dicaturis caute circumspiciendū  
est, ne quam opinionem impro-  
vida festinatione arripiamus. U-  
num ergo aut alteram *κρησιον*  
ob oculos nobis ponemus, fili  
instar Ariadnei futurum, ne in  
cæcas ambages a recto decline-  
mus tramite.

I Denunciatum hoc *βδέλυγμα* si-  
gnum esse prope antecedens loci san-  
cti eccidium. Ita enim arête hæc  
sunt connexa: *ὅταν ἴδῃτε τὸ βδέλυ-  
γμα, ἴδῃτε ἢ ἐν τῇ ἱερῶν, Φευγέτωσαν,*  
*quum vel simulacra videritis abomina-  
tionem, tunc qui in Judea sunt, fu-  
giant.* Quippe vilo hoc signo,  
non cunctandū, & lenta con-  
fugite. *ἡ ἀδελφὴ* filia

glia in diem servanda piis suadet ; sed maturandam illico fugam, & qua pateret festinanter erumpendam, ne communi gentis ruina involverentur.

II. *Ut parallelismum Evangelistarum indicem tenendum; ita horum cum Daniele harmoniam esse servandam.* Sic namque phrasis aliorum Evangelistarum vexata est exponenda, ne a rotundis & planioribus Lucæ verbis interpretatio abeat, nedum iis contraeat. Et contra, emphatica aliorum dictio Lucæ orationi pondus addet. Porro quum Christus ipse vaticinium Danielis suum faciat, unum utrobique argumentum sit necesse est, & proinde heic propheta amico complexu Evangelistis a latere jungendus. Sed dixeris, haud leve esse discrimen inter enunciatum Christi & Danielis. R<sup>s</sup>. Christo non

non erat propositum, verba vā-  
tis eadem constructionis forma  
citare, sed sensum inde elicere,  
& rem eandem libere proferre.  
Certe *vāsi dīvoīar vāstatio super a-*  
*la abominatiōum*, erit *vāstatio ab-*  
*ominanda*, & *ala abominatiōum*,  
quæ *vāstatiōem* habet comitem,  
non est nisi *abominatiō vāstatiōis*.  
Dominus addit locum, ubi illa  
esset conspicienda.

Difficultas hujus argumenti  
patet etiam ab ingenti illa varie-  
tate sententiarum, quas varii de  
eo fovent, & nos hic in tria ge-  
neralia capita digessimus. (a)  
Quidam enim *signum hoc longius*  
*retro seu in antecessum remobent*.  
(b) Alii *idem serius quam par est*  
*querunt*. (c) Nonnulli denique  
*justo id tempore videntur collocare*.

§. III.

**A**D primam classem pertinet  
I. opinio quorundam, ut

*Pererii*, qui hoc *Βδελυγμα* intelligunt de *Jovis Olympii statua*, & *ara* porcis macandis posita, quibus *Antiochus Epiphanes* templum profanavit, 1. Maccab. 1. 57. Joseph. antiq. lib. 12. c. 7. Hæc quidem res, ut in se fuit, ita a Daniele c. 11. 31. *abominatio desolationis* vocatur; Christus tamen hic non de re præterita, sed futura; non de abominatio-  
ne visa, sed adhuc videnda loquitur.

2. Nonnulli interpretantur de *aquila aurea*, quæ ab *Herode* supra majorem templi portam dedicata erat, quam deinde, rege letaliter decumbente, adolescentes suasa duorum sophistarum detractam conciderunt securibus, inspectante congregata in templum multitudine, Jos. Antiq. lib. 17. c. 8. & bell. Jud. lib. 1. c. 21. Sed hæc itidem longe ante hunc

hunc sermonem Christi non multo post nativitatem ejus contigerunt.

3. Alii hic facinus Pilati suggerunt, qui *imaginem Tiberii* templo intulerit, quod Eusebius asserere videtur. Verum Josephus antiq. lib. 18. cap. 4 & B. J. lib. 2. cap. 8. narrat quidem signa & effigiem Cæsaris, jussu Pilati, Hierosolymam non in templum illata, sed confestim inde Cæsaream esse asportata. Et quidquid hujus erat, jam tum venerat, quum Christus hæc vaticinaretur de signo sub excidii tempore eventuro.

4. Quidam hic opinantur *Statuam Caligule* indicari, quæ jussu Cæsaris a Petronio Syriæ præside in templo Hierosolymitano fuerit locata. Et quum hoc nimium ab ultima ruina remotum videret *D. A. Hunnius*, existimat  
Syri-

Syriæ & Judææ præfides Cæsarium postulatu hoc egisse, ut statua eadem loco sancto maneret, neque fas esset eam removere. Hoc autem neque scopo orationis Christi, neque historiæ veritati est consentaneum. Nam accuratissimus rerum Judaicarum scriptor Joseph. antiq. lib. 18. c. 11. & B. J. lib. 2. c. 9. refert, Caligulam imperalle quidem statuam sibi in templo poni et adorari: sed Petronii prudentia moram esse datam, et Cæsari ira interim per Agrippam mitigata, rem in effectum non esse deductam. cont. Tac. hist. lib. 5.

5. Sunt qui innui putent *universum cultum Leviticum*, qui in templo post mortem Messiae contra ordinationem divinam continuatus, non nisi detestandus Deo et abominatio fuerit. Quod ipsum confirmant prævia apud Daniele ver-



verba, *Messiam facturum cessare sacrificium*; unde & phrasin, *super ala abominationum*, sive de templo, sive de Cherubinis, quidam exponunt. At præterquam quod durum nimis foret, præsertim Cherubinos scæda abominationum macula notari, ostendimus jam nomen  $\eta\delta$  his rebus præter omnem auctoritatem adfingi. Insuper confirmato per mortem Testatoris novo testamento, jam tum vetus est antiquatum, cultusque iste pretium omne perdidit: adeo ut illa abolitio signum excidii propinquum & fugæ tam præcipitis monumentum esse nequerit.

#### §. IV.

**A**lterius classis opiniones  $\beta\delta\epsilon$ .  $\lambda\upsilon\gamma\mu\alpha$  hoc serius statuunt, quam ut signum fugæ commendatæ esse queat.



1. *Chrylostomus, Theophylactus, Euzhymius* & alii nonnulli de *stacua* explicant, quam *Titus Vespasianus*, expugnata urbe & templo everfo, ibidem posuerit. Verum huic non immerito opponitur, tum quod *Josephus*, auctor diligentissimus, nihil omnino hujus rei meminerit; tum quod visa ejusmodi effigie, sera nimis fuisset cautio de capeffenda fuga.

2. *Wolfburgii* sententia est, intelligi hic, illatam a *Vespasiano ultimam Hierosolymorum desolatorem*, cultus *Levitici* plenariam abrogationem, loci sancti seu templi summam profanationem & ruinam, ac denique conversionem prærogativæ *Judæorum* in abominationem. Ast quanquam phraseos natura hunc sensum haud invito admittit, eundem tamen consequentium ratio non patitur, quandoquidem consum-

mata jam devastatione, nulla amplius elabendi facultas suppetebat.

3. Nonnulli longius hoc projiciunt, qui de imperatoris *Adriani statua*, & reliquo profanationis apparatu, in locis Hierosolymorum quondam sacris, posito accipiunt. Ita alicubi *Suidas*, qui βδελυγμα hoc, τὸν Ἀδριανῆ τῆ βασιλέως ἀδελφαῖνα, *statuam Adriani regis* interpretatur. Nec multum inde *Hieronymus* abludit. Hæc autem opinio quam longe a scopo sermonis Christi aberret, primo statim intuitu patet.

4. Hic & illi sunt nominandi, qui universum hoc oraculum de *antichristo* exponunt, adeoque signum, non excidii Hierosolymitani, sed interitus rerum universalis, hic indicari autumant. Ita sentiunt, præter veterum nonnullos, *Theologi Saxonici*, *Flacius* &c.

&c. Ceterum perspicue, ni falli-  
mur jam superius ostensum est,  
hanc vaticinii partem litteraliter  
aliud omnino argumentum tra-  
ctare, adeo ut Frantzius pro-  
nunciet, *omnibus hodie certum esse,  
de antichristo ea verba non posse in-  
telligi.*

§. V.

**S**uccedit tandem eorum ordo,  
qui in determinando abomi-  
nationis hujus tempore non a-  
deo a puncto deerrare videntur:  
verum tamen ne ipsi quidem in  
applicando eadem sentiant

I. Namque haud pauci *βέλους*  
*γυα* hoc de abominandis *Zelotaru-  
rum sceleribus* interpretantur. Ne-  
fanda certe erant facinora, qui-  
bus illi & urbem & templum jam  
paullo ante obsidionem pollue-  
runt, dum in omne impietatis  
genus rabidi ferebantur; quibus

prolixè descriptis Josephus tandem B. I. lib. 6. c. 1. exclamat, *miserrimam civitatem, locum Dei non amplius esse, neque habitare posse, cujus intestina scelera flammis purgaturi Romani introire deberent.* Verum quamvis flagitia illa partem hujus abominationis trahere queant, universam tamen non conficiunt. Unde expositio ista neque Danielis vaticinio satisficit, neque cum descriptione Lucæ conspirat.

2. Alii hoc de exercitu Romano, aut certe de signis eorum militari-  
bus intelligunt. In hanc sententiam magno numero est itum, potissimum a recentiorum præstantissimis, quum probatissimis fulta rationibus illa videatur. Præcipuum ei robur est ab explicatio-  
ne Lucæ, qui aperte *κακλαμβ-  
ων ὑπὸ στρατοπέδου τῆν ἱερουσαλημ* ex-  
ponit, quod ceteri *βδελυγμα τῆς*

ἐπιμάρσιος dixere. Copias vero Romanas *abominationem* dici, quod essent idolorum cultu & profanis ritibus abominandæ: *desolationis* autem, ab effectu, quod templo & urbi extremam vastitatem adferrent. *Stare in loco sancto*, quod non solum templum, sed & universa regio sancta reputaretur. Neque sententia hæc a loco Danielis videtur aliena: *juxta eum ala abominationum* aderit *vastator*. Ubi turmas militares dici *alam abominationum*, tum ob eandem religionis rationem, tum quod Judæis ob cladem illatam essent exosæ. Nonnulli per *alam* hic intelligunt *alitem*, distincte interpretantes de *aquila Romana*, quæ ob cultum Judæis fuerit detestanda. Constat enim non tantum signis cohortium adjunctas fuisse Cæsarum imagines, quas milites

lites adorarunt: sed & aquilam,  
legionum signum, exquisita sem-  
per religione cultam: unde Ta-  
cit. 2. annal. *ivent, sequeromur*  
*ROMANAS AVES, PROPRIA LEGIONUM NU-*  
*MINA.*

§. VI.

**O**Vum autem sententiã hanc,  
ceu præ reliquis maxime  
probabilem, argumentando ul-  
terius explanare ac stabilire co-  
naremur, dubia sub manu nata  
sunt haud pauca, & difficulta-  
tes sese prodidere inexplicabiles.  
Nam 1. ipsa nominis ratio sta-  
tim aliquid insoliti & obscuri sa-  
pit. Quis enim *vastatorem* unquam  
*scditatem vastationis* vocat? aut  
quis talia legens vel audiens, hunc  
sensum adsequitur? 2. Expositio  
ejus valde est coacta. (a) Nam  
copias dici abominationem *va-*  
*stationis a vastitate*, quam infe-  
runt,



runt, ratio videtur longius petita. (B) Durum est, Romanum exercitum ob superstitionem appellari *abominationem*, idque solo hoc nomine, in unica propositione, quæ historicæ narrationi fere par est, re nullo alio signo planius indicata. Neque interpretatio de signis militaribus expeditius procedit. Et cur solo illo casu Romani milites eorumque signa censerentur abominatio, quum jam tum longo tempore præfecti Romani cum cohortibus & signis in Judæa excubuerint? immo Christo hæc lovente, Pilatus non sine militum Rom. præsidio Hierosolymis aderat. 3. Sententia hæc cum oraculo Danielico vix conciliari potest. (C) Jam enim supra, vocis  $\epsilon\iota\sigma$  significationem de *exercitu*, probari non posse, monstravimus. Frustra robur quæritur

ex



ex illo Ezechielis c. 12, 14. &c.  
 ————— *agmen, turma*; quod li-  
 cet latino more *ala militaris* di-  
 ci queat; attamen sola coniectu-  
 ra lubrica ei propria *ala* notio  
 attingitur. Et quum neque in-  
 dubitatis constet exemplis,  $\eta\alpha\delta$   
 de *alite* dici, tanto longius ab u-  
 su recedit *Sostmanni* de *Aquila Ro-*  
*mana* expositio, quæ obscuriore  
 figura seu geminato tropo se im-  
 plicat. (C) Nativa particulæ  $\nu\gamma$   
 notio plane deseritur, tum ab iis,  
 qui exponunt *per*, de causa in-  
 strumentali, cujus exempla desi-  
 derantur: tum qui reddunt sim-  
 pliciter de comitatu, *una cura ala*,  
 nequicquam provocantes ad E-  
 xod. 35 22, ubi numerus rerum  
 initur, cumulata una super alte-  
 ram: denique qui accipiunt de  
 vicinitate qualicunque, *juxta*: dis-  
 simile namque est illud Num. 1.  
 52. ubi fixo vexillo, castrame-  
 tatio

tatio ut huic principio superstiti-  
 eta respicitur. 4. Quod ad præ-  
 cipuum argumentum, locum Lu-  
 cæ attinet, neque forte eum per  
 omnia ἰσοδυναμίᾳ habemus. Lu-  
 cas enim etiam de *causa efficien-*  
*te*, reliqui de solo *effectu* loquun-  
 tur. Alioquin quum & Lucas, ut  
 ceteri, ἐρημώσεως meminerit, ver-  
 ba illa, καὶ γαίην ὑπὸ στρατιῶν  
 τοῦ ἰσραηλίου, erunt solius *abomi-*  
*nationis* expositio, & sic non co-  
 piæ Romanæ, sed κύκλωσις seu ob-  
 sidio Hierosolymorum esset res  
 illa abominanda: quod ne ipsi  
 quidem volunt. Hæc strictim  
 tantum notasse, pro temporis ra-  
 tione nobis erit satis.

### §. VII.

**O**Mnium loculis ita excussis,  
 nihil adhuc reperimus, quo  
 mens adquieteat. Circumspicien-  
 dum igitur nobis est, annon ul-  
 la

la amplius suppetat ratio, quæ  
 nodum hunc expeditius solvat.  
 Procul dubio quæ explicatio, ser-  
 vata historię veritate & aucto-  
 rum parallelismo, proprietate  
 literæ maxime nititur, & sicubi  
 figura evitari nequit, eandem  
 simplicissimo, planissimo, & a  
 communi loquentium usu mini-  
 mē remoto sensu sistit: ea erit  
 optima ac tutissima. Non ita-  
 que aliena a re nos tradituros ar-  
 bitramur, si statuerimus per  
 hoc *Ἐδελύγυα Ἰσὶς ἰγνυώσεως* id intel-  
 ligi, quod verba ipsa nativa vir-  
 tute valent, i. e. *abominationem  
 devastationis, seu abominandam &  
 fœdam vastitatem, terra sancta in-  
 duci cœptam, ingruentibus in eam  
 exitialibus bellorum turbis, Roma-  
 norum precipue copiis, omnem cla-  
 dem & fatale excidium adferenti-  
 bus.* Quid enim *abominatio deso-  
 lationis* magis proprie est, quam  
 illa

illa sceditas & miseranda rerum  
 facies, quæ in vastatione, fra-  
 ge, ruina conspicitur, & omni-  
 bus horrorem incutit? Hoc ma-  
 lum detestandum vitari erant su-  
 tum in terra sancta, maxime lo-  
 cis Hierosolymæ vicinis, sicut  
 universam illam regionem more  
 scripturæ sanctam dici ostendi-  
 mus; h. e. loco, ut Marcus ait,  
*quo non oportebat*, vi promissio-  
 num divinarum, si Jucæi in offi-  
 cio mansissent. Cladis hujus,  
 quam reliqui Evangelistæ nude  
 ut horrendum effectum sistunt,  
 Lucas insuper præcipuum sive  
 auctorem sive ministrum indicat,  
*legiones* videlicet Romanas, Da-  
 niel malum hoc universum simul  
 & completum; Christus initium  
 ejusdem, sed evidens jam tum  
 & indubium, ut incitamentum  
 fugæ esse posset, ob oculos po-  
 nit. Omnes in vaticinio Danie-  
 lis

lis figuram agnoscunt. quo ergo  
 planior illa fuerit, eo minus su-  
 specta. Hunc ergo simplicissi-  
 mum oraculi hujus sensum, qui  
 statim se legenti haud ægre of-  
 fert, esse putamus: *super ala ab-*  
*ominatorum* ( h. e. alis maxime  
 abominandis ) aderit sive advo-  
 labit *vastatio*, seu mavis vastator.  
 Ita unica & evidenti figura, qua  
 vastationi seu vastatori ob celer-  
 rimum & certissimum adventum  
 alas tribuit, rem hanc concise &  
 pathetice eloquitur. Calamita-  
 tem hanc *alis abominatorum* di-  
 cit vehi, quod horrenda ac fedis-  
 sima esset futura. Sic vocum con-  
 structionumque indoles & linguæ  
 usus sibi constat. Idem namque  
 notabit phrasis *על כנפי רוח*, atque Ps.  
 13. 11. &c. *על כנפותיה נדדתי*  
 & *volavit super alis venti*. Ita &  
 hinc sequentium sensus erit liqui-  
 dus, ubi calamitas hæc tanquam  
 nubes

nubes opaca עָרַךְ עַל הַיָּם *stilla-*  
*bitis & depluet super desolatum*  
*locum.*

§. VIII.

**S**upereft, ut defolationis illius  
 momentum, quo signum  
 sagæ effiet piis, perquiramus. Id  
 designat Christus ipse apud Lu-  
 cam, *cum videritis cinctam a legio-*  
*nibus Hierofolymam.* Qvod quo  
 minus de obfidiōe, qua *Tirus*  
 clauit Hierofolyma, intelligi  
 queat, obftat *πανελεσθία* rerum  
 tunc præfentiffima. Jam enim  
 tum omnia erant peflundata,  
 munimenta fingula, excepta fo-  
 la urbe principe, expugnata, post-  
 quam Fl. Vefpafianus, Judæo-  
 rum contumacia irritatus, hor-  
 rendum in modum diu effiet gras-  
 fatus, & regionem univerfam  
 ferro flammisque devaftaffet: ad-  
 eo ut ex Judæa, ceu Christus

mo-



monet, fuga magis esset nulla. Sed neque ex urbe Hierosolymorum arcte clausa, ulla amplius evadendi erat copia. Quod videns Cl. *Starkius*, vocem *κυκλωμενην* contendit non exponendam *cinctam*, sed *cingendam*; verum, ut apparet, coacte. Nos verissime arbitramur hic illam innui obsidionem, qua *Cestius Gallus*, Syriae praefes, Hierosolymorum urbem cinxit, quam *Joseph. B. J. lib. 2. c. 24.* describit. Nam haec rei series erat. Variis quidem tumultibus & moribus, post hunc Christi sermone, territabantur Judaei, quale illud bellum erat, quod *Caji* jussu *Petronius* in Syria adversus Judaeos parabat. Quo tamen rumore Christiani minime consternari, sed adhuc dum Christo aliquid inter Judaeos lucrari debebant, siquidem nondum aderat finis. Tandem vero, post alias calamitates, quum Judaei a praefecto *Gessio Floro* omnibus injuriis, afflictionibus, rapinis divexati



vexati essent, multi arma corripuere, unde funestum illud bellum Romanos inter & Judæos exarsit, quod non nisi cum horum inter-  
 necione quævit. Itaque acceptis utriusque cladibus, quum Cestius exortos motus haud aliter comprimere posset, contractis legionibus & auxiliis in Judæam movit, ubi Zabulon Galilææ oppidum, Joppen, Antipatridem, Lyddam, cum circumjectis agris, diripuit, depopulatus est, exussit. Hoc revera initium abominandæ desolationis terræ sanctæ erat. Hinc caput gentis Hierosolimam adortus, eandem obsessam oppugnavit. Hæc prima ab illo Christi sermone Hierosolymorum fuit obsessio. Tunc quotquot essent discipuli in universa Judæorum ditone, quæ tota inter-  
 necioni erat devota, matura fuga in tutum sese recipere monentur, quum fatale malum sisti jam nequeat. Et singulari cura Numinis accidit, ut Cestius diffusus rebus, soluta

lura repente obsidione, præcipiti fuga copias in Syriam retraheret, ne piis, qui forte adhuc Hierosolymis morabantur, omnis elabendi via intercluderetur, maxime priusquam Z-iotæ & adventantes Vespasiani ultimum ruinis cumulum imponerent. Certe Christiani, hujus moniti memores, illo jam tempore ad unum omnes ex Judæa, in tutiora migrasse narrantur, *Pellam* præcipue Perææ urbem petentes. Conf. Euseb. Hist. Eccl. lib. 3. c. 5. &c. Fallimur, annon hoc idem est, quod Josephus B. J. lib. 2. c. 25. tradit, statim post Cestii discessum, *nobilium Judæorum multos, tanquam e navi pessum itura, ex civitate enastasse.* Hæc cogitata nostra, quam fieri potuit brevissime, candido eruditorum judicio modeste exponimus.

Τῶ Θεῷ μόνῳ ἡ δόξα.



Juveni Politissimo,  
Dn. HENRICO JOHANNI  
HAARTMAN,

Auctori & Respondenti Dissertati-  
onis eruditæ de Abominatione  
desolationis,

Patrueli suo perquam Honorando,

**E**gregium specimen dum tradis Fra-  
ter Amante,  
Ingenium prodis prestans illudque bea-  
tum.

Gratulor ex animo Tibi jam jam stu-  
dia pulchra;

Letantur omnes quot quot Tibi san-  
guine juncti.

Astripotens Numen semper tua fata  
secundet,

Dum mundum linguas, Capias tum  
gaudia cæli.

Sic vovet ex toto Tibi pectore gratus  
ovansque.

Raptim Hollolæ d. 16.

Novemb. 1733.

Jacob. Haartman  
Gabr. Filius.

HENRICUS JOANNES  
HAARTMAN,

Ἀναγυραματικὸς ὢς,

Oh! an Musae narrant in hisce?

**Q**uam mihi praecidat numeros  
angustia venae;  
Paucaque me jubeat verba dicere  
Tibi:

Tu, precor, ex paucis adfectus maxi-  
ma signa

Collige nunc Haartman, dulcis A-  
mice, mei.

Ex quo Te capere melius cognoscere;  
semper

Prae Te ferre mihi visus es ingenium  
Excellent, rarum studiis solidisque  
subactum,

Quale Tuus celebrat pluribus bicce  
labor.

Quod laudant omnes, an idem nar-  
rant & in hisce

Musae? non certe quaerere jam  
dubitant.

Oh!

Oh! Tibi jam grator, cedant felicio  
ter ausus;

Sic quoque non, credas, laus Tua  
deficiet.

Te ducant iudicem Musae per amœna  
diarum

Pindi! Te foveant! praemia larga  
parent!

Noster o summe Deus jungas bis pon-  
dera votis!

Sic vobet Andreas nomine Sa-  
lovius

Ex animo! in numerum, cui Fennia  
fecit, ut essem

Memborum cœtus nobilis austriacis



Oh! This fair world, which seems  
So good, so sweet, so full of bliss,  
Is but a vale of tears, a scene of pain,  
Which soon will end in death's cold chain.  
No more shall I behold the sun  
Or feel the warmth of his bright beam,  
No more shall I behold the moon  
Or feel the softness of her gleam.  
No more shall I behold the stars  
Or feel the light of their bright beams,  
No more shall I behold the sun  
Or feel the warmth of his bright beam.  
No more shall I behold the moon  
Or feel the softness of her gleam.  
No more shall I behold the stars  
Or feel the light of their bright beams.

